

a Comitatu Zagradiensi tanquam viciniore facilius commodiusque administrari posse videretur. Ex his itaque fundamentis, ut antelatorum Crisiensis et Zagradiensis Comitatum Limites in statu quo relinquere clementer dignetur Majestas Vestra Sacratissima, humillime supplicamus.

Quod reliquum est, demissam hanc Nostram de regulandis Comitatibus opinionem, in obsequium B. Majestatis Vestrae Sacratissimae Mandati ad pedes altifatae Majestatis Vestrae Sacratissimae supplices deponimus, avitam autem Bani et Regni praerogativam ad maternam Majestatis Vestrae Sacratissimae clementiam denuo summa cum fiducia reclinamus, altissimis Caesareo Regiis gratiis et Clementiae aeternum devoti, in homagiali fide et obsequio emorimur, Majestatis Vestrae Sacratissimae Humillimi perpetuoque Fideles subditi et Capellani, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Status et Ordines.

Articulus Duodecimus.

Juramentum pro Domino Regni Commissario elaboratum adprobatur.

Siquidem electus in postrema Generali Dominorum SS. et OO. Congregatione Dominus Confiniorum Regni Banalium Commissarius partim ob acceleratum ad Confinia iter, partim ob affectam valetudinem Juramentum deponere hactenus nequivisset, ideo ut infrascriptum in publico relatum et adplacidatum Juramentum coram Domino Magistro Prothonotario, relationem eatenus in publico facturo, deponere teneatur, determinatum est.

Praefati autem Juramenti tenor talis est:

Ego N. N., electus per Inclytos Dominos SS. et OO. Regni Confiniorum Banalium Commissarius, Juro per Deum vivum et ejus Sanctam Genitricem Virginem Mariam ac Omnes Sanctos et electos Dei, Quod ego, in conformitate datae mihi ex publico Instructionis Commissariaticae, Universa et Singula Confiniaria emolumenta, sive tandem hactenus conscripta, sive per Industriam ac diligentiam meam quovis modo eruenda, fideliter administrabo, eadem ad Cassam publicam conferam, ac de his nihil pro parte mea reservabo. Utilitatem ex educillatione vini, Naulis et Teloniis quovis modo profluentem omni meliori, quo fieri poterit modo cum fructu et utilitate Cassae mihi concreditaе promovebo, Fundum horum emolumentorum manutenebo, ac si quae publico praejudiciosa emergere contingeret, tempestive Suae Excellentiae Banali ac Inclytis Dominis SS. et OO. Regni pro adferendo remedio detegam ac revelabo; Fiscalitatibus occurrentis diligenter invigilabo, ac in omnibus Instructionis meae punctis obligationi meae satisfaciam. Demum de omnibus curae meae concreditis de anno in annum distinctas et separatas juxta publicam dispositionem rationes effective reddam. Sic me Deus adjuvet, Beata Virgo Maria, et vivificum Domini Nostri Jesu Christi Signum.

Originale in Archivo Regni Croatiae.